






.271



MOSCH



GEORGII
MOSCHETII
ORATIO
DE LAUDIBUS LINGUAE GRAECAE


SUB SERENISS. FERDINANDO III.
MAGNO AETRURIAE DUCE.

Ad nobilissimam Pisanam Academiam, Habita Die ipso Kal. Ian. Anno M. DC. VI.









PISIS, Apud Io. Baptistam Boschettum, & Ioannem Fontanum Socios, Anno M. DC. VI.
Superiorum permissu.

Illustriss. & Excellentiss. PRINCIPI


D. CAROLO MEDICI



GEORGIVS MOSCHETTIVS S.P.D.

IVSSV Serenissimi Parentis tui, CAROLE PRINCEPS Excellentissime, profiteri Græcas litteras in hac nobilissima Pisana Academia, diebus proxime præteritis, aggressus sum, atq; (vt moris est) grecæ dialecti laudes, breui cuiusdam Orationis meæ compendio, inter ipsa renascentis anni primordia, præfationis loco, studiosis Iuuenibus explicaui, vt hac ratione illius capeßendæ studia, maiora in pluribus excitarem, excitata in multis perficerem, atq; in alijs iam perfectiora firmarem; & quidem vniuersi qui aderant, non solum benignas, dicenti, ac gratas, (quæ illorum fuit humanitas) aures præbuerunt; verum etiam eorum aliqui, hanc qualemcumque orationem meam, extemporaneo nixu fusam, ac nullis oratoriæ artis ornamentis decoratam (attentius forsan ipsam legendi, ac curiosius quæ in ea dicuntur peruestigandi desiderio capti) summis ac iteratis a me præcibus petierunt; quorum pe-

titioni non morem gerere, cum nefas esse existimarem, diu mihi, deliberandum non fuit, quonam ego pacto plus illi auctoritatis ac virium compararem: statim enim, inclytæ ac Serenissimæ Familiæ Tuæ patrocinium in mentem venit cuius auctoritas debilia roborat, obscura splendor illustrat, dignitasq; ipsa atque nobilitas, humilia quæque subleuat, & exornat; in qua licet alios etiam eisdē Serenissimis Genitoribus natos Tuos agnoscam fratres, quibus ego pariter addictissimus sum, pluraque perspiciam eiusdem virtutis præclarissima lumina a luminaribus illis magnis, parentibus nempe tuis producta, quorum singula omnibus, & præsidio esse possunt maximo & splendori; tu tamen vnus præ alijs Mæcenas ac patronus optimus, hac in re præcipue, mihi opportunus admodum occuristi, quippe qui Pisis cum sis, & propior ades, & ipsarum etiam græcarum litterarum studio (de quarum præstantia agitur) magnoperè delectaris; Accipe igitur qua soles humanitate, atq; hilari vultu, multis nominibus debitum ac inscriptū amplitudini tuæ exiguum licet paruique pretij præsens munusculum, tui spleudore nominis, illustrandum, & decorandum, ab eo tibi delatum, qui se sua que studia omnia, lubens perpetuis Serenissimæ familiæ tuæ commodis dicauit atq; addixit. Vbi enim gratum hoc Excellentiæ tuæ fore cognouerit, studiaq; græca tuo patrocinio, more Parentum foueri perceperit, ad maiora in dies singulos obseruantiæ gratiq; animi monumenta paranda vna cum alijs se latus accinget; πᾶν γὰρ τὸ τιμώμενον (vt ait Iamblichus) αὔξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Vale.

GEORGII MOSCHETII
ORATIO
DE LAVDIBVS LINGVAE GRAECAE.



I quando aliàs, in hoc celeberrimo Inclytę Ciuitatis Pisarum Gymnasio, via quępiam cæteris aptior ad omnium disciplinarum, seu doctrinarum genera, vel comparanda facilius, vel intelligenda vtilius, vel explicanda accomodatius, a quoquam ex cogitata, ac inuenta fuit; si quando diuturnis iuuenum studiosorum vigilijs ac laboribus optatus perfectusq; studiorum suorum finis pro voto successit; hoc profectò nunc illud tempus adesse mihi videtur, cum optima rerum omnium cognoscendarum, Methodus, ac Disciplina, græcarum scilicet litterarum studia, peritorum hominum consilio, illustrissimorum præfectorum decreto, ac Serenissimi Magni Ducis nostri mandato (quod fœlix faustumq; sit) inchoantur atq; traduntur; ea namq, fuit semper, & est vbiq; gentium, facundiæ grecæ vtilitas, vt per illam facillimum sibi quisq; ad perfectã rerum omnium cognitionem parare possit ingressum: ea est necessitas, vt sine ipsa innumeræ pene, ac præcipuæ vocum significationes, maxima cum iactura, in quouis eruditionis genere nos lateant: ea deniq, est ipsius præstantię dignitas, vt illa semel, vel summis, vt aiunt, labijs degusta-

ta, quilibet eo ipso præstare cęteris, sibi facilè persuadeat: & iure quidem id optimo fit, auditores; cum enim humana ratio, priscis illis ac aureis græcorum temporibus, vnius sapientię inquirendæ studio addicta, maxima semper in ea incremẽta virtutum susceperit, rerumq; omnium tam Physicarum quam Metaphysicarum causas, & arcana, post maximos diuturnosq; labores fœliciter inuenta, græco sermone, eoq; elegantissimo, omnibus eiusdem sapientiæ amore detentis copiose tradiderit, patefecerit, dictauerit, exposuerit, nil mirum videri debet, si dum cæteras omnes dialectos, & dignitatis, ob id, præstantia, & vtilitatis excellentia, longè lateq; antecellit, omnibus etiam, qui ipsa pollent, & ornamento sit maximo, & vtilitati; non solum enim, vt dictum est, huius linguæ præsidio ad quod libet scientiæ facultatisq; genus percipiendum fructuosius, atq; alijs aperiendum suauius, aptiores efficimur, & promptiores; verum etiam multarum rerum ignorantiæ tenebris illius accessu fugatis, admirabiliq; quodam inde splendore perfusi, illustriores reddimur, atq; fœliciores; cum enim vera omnis humana fœlicitas ac nobilitas in vnius veri summiq; boni (quod est Deus optimus Maximus) contẽplatione versetur, cuius apprehensionem, licet solis naturæ viribus assequi perfectè prohibeamur, magna tamen ex parte, ad eam attingendam, horum inferiorum cognitione iuuamur, (inuisibilia enim Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, iuxta sacri dictum eloquij) profectò quò maiori perfectioriq; rerum cognitione pollebimus, eò maiori etiã ac perfectiori fœlicitatis nobilitatis ve bono munereq; decorabimur, atq; lætabimur; Quis autem neget hanc absolutam perfectamq; rerum omnium cognitionem hac vna lingua contineri? nemo certe alius, nisi qui omni prorsus eiusdem cognitionis lumine priuatur;

luce

luce enim clariora ſunt linguę græcæ apud omnes enco-
mia , nec vlla noſtra probatione in pręſentiarum indigent
aut commendatione ; nota vobis ſunt omnibus, Doctores
Excellētiſſimi, linguæ huius quanta ſint vndequaq; κειμήλια
quam pulcra, quam neceſſaria , quam vtilia ; ſatis ſuperq;
illius probatis laudes cum ſcientias omnes atq; doctrinas
græcorum ſectando veſtigia diſcipulos edocetis veſtros ;
Quid enim aliud primò diſcendū naturalis proponit Philo
ſophus , niſi quos tradidit Ariſtoteles libros περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροά-
σεως ? quid poſt eos explicandum putat niſi quæ coſcri-
pſit idem de Cœlo & Mundo πολλάματα ? quibus accedunt
multa alia opera, libri, videlicet, de triplici anima, de gene-
ratione & corrnptione, de ſenſu & ſenſibili, & cætera id ge
nus omnia, quæ tam ad horum inferiorum penetralia, quā
ad ipſorum pertinent cœlorum quęrenda ſublimia ; quid
queſo Metaphyſicus habet prę manibus niſi eiuſdem peri
pateticorum Principis 14. de prima Philoſophia volumi-
na ? quid Logicus prædicat pro perfecta intellectus noſtri
operationum directione vtilius ipſo Ariſtotelico organo ?
ad quemnam alium Moralis, Politicus, ſeu etiam Oecono-
micus confugit Philoſophus, pro morum integritate acqui.
renda, virtutum præſtantia perſpicienda, ciuium bonorum
inſtitutione firmanda , rerūq; domeſticarum gubernatio-
ne diſponenda , niſi ad ipſius Ariſtotelis libros Politicos
Oeconomicos, Ethicos ? cui nam vnquam alteri fructuo-
ſius adhæret eloquentiæ cupidus, niſi eiuſdem de arte Rhe
torica ad Alexandrum, & Theodecten conſcriptis dogma
tibus? & tandem, qui ritè Pœtarum Catalogo adſcribi vo-
luerit a quonam alio cenſet petēda Poeſeos ſuæ præceptio-
nes , atq; primordia, niſi ab eodem Philoſopho: & hæc ab
vno (vt videtis) traduntur græco homine, cui tamen ſimil
limos (ne dicam præſtantiores) quam plures in græcia il-
la licet

la licet inſpicere. Mathematicarũ item ſcientiarum demõſtrationes, & περιβολὰς ab Euclide præcipue,& Archimede aliiſq; græcis doctoribus tradi,nemo eſt veſtrum qui neſciat; Medici omnes atq; Chirurgi ſuę facultatis & artis auctorem & Principẽ, poſt Deum, vnũ agnoſcunt Coum Hippocratem, cuius Aphoriſmos, & reliquas omnes de morbis curandis ſententias tanti facere conſueuerunt, vt, ne latum quidem vnguem, vllo vnquam tempore ab illis diſcedere, fas eſſe exiſtiment; omitto Galenum, & alios quamplures græcos Archiatros, qui cum Therapeuticen hanc ſcientiam ſuis monumentis atq; vigilijs mirificè illuſtrauerint, auxerint, atq; adeò perfecerint, non ſolum ad proximam Hippocratis, & AEſculapij ſapientiæ laudem fœliciſſime peruenerunt, verum etiam vitæ noſtræ aſſidua incolumitate tuẽdæ atq; ab innumeris fermè morborum generibus eripiendæ, diuina propè remedia reliquerunt; taceo prę terea quod Lippis, (vt dicitur) atq; Tonſoribus patet, omnes videlicet morbos, ſingula Pharmaca, quælibet ſimplicia corpora,quę vis inſtrumentorum meſurarum ac ponderum genera,& deniq; quidquid ad hanc ampliſſimã medicorum artem,ritè comparandam,docendam exercendam ve pertinere poteſt,omnia tum a græcorum fontibus effluxiſſe, tum græco adhuc ſermone vocitari, quò fit, vt tanta facultas, ab ijs, qui ſedulam huic Dialecto operam nauare neglexerint, vix commodè percipi,nedum citra humanæ vitæ periculum exerceri, poſſit. Iuris legumq; ſcientia, cum politicæ atq; Ethicę Philoſophię quædam ſit portio, paci ſocietatiq; humanæ ſeruandæ præpoſita, multis tum Philoſophorum,& Oratorum, tum etiam Poetarum, & aliorum Græcorum dictis atq; ſententijs fulcita, nec nõ, integris græcis epiſtolis, itidemq; Imperatorum Reſcriptis ac Iure conſultorum Reſponſis quam pluribus ornata, nõ

equi-

equidem video quonam pacto, sine aliqua græcarum litterarum eruditione, perfectè a quoquam acquiri possit, nisi fortè, minus esse necessaria, scituq; digna quæ legibus tanquam bases, & fundamenta inserta sunt, temerè affirmare velimus, atqueproinde cum Accursio illo (pace omnium Iuris Peritorum dixerim) non minus imperitè quã impudẽter eadem omnino negligamus. Theologis porrò præter occidentis, non desunt, & orientis præcipua lumina, Dionisij, scilicet, illi Areopagitæ Athanasij, & Basilij Magni, Gregorij Nazianzeni, & Nysseni, Ioannes Chrysostomi, Epiphanij, Cirilli Alexandrini & Ierosolimitani, Ioannes Damasceni, & alij sanctitate & doctrina præclari quamplurimi, quorum dogmatibus, & eruditione, verè fulget, vt Sole Luna, Sancta Mater Ecclesia, quos non modo fidei Catholicæ cõtra quælibet aduersariorũ tela propugnatores acerrimos, verum etiam omnium diuinarũ scripturarum expositores atq; doctores reperire licet eximios; His addite generalium ferè omnium Synodorum acta, græco & illa sermone composita, Canonicas scripturas omnes (si veteris testamenti libros, & vnum excipiatis Matthæi Apostoli Euangelium) Apostolicarum item ordinationum decreta sanctissimi illius martyris ac summi Pontificis Clementis monumentis seruata, nec non innumera alia ac per necessaria doctissimorum virorum, in omnes vtriusq; fœderis paginas commentaria relicta, quæ sacrorum Theologorum Scholas, non solum maxima luce perfundunt, verum etiam, miro quodam modo perficiunt. Humaniorum etiam litterarum doctores, satis apertè linguæ huius declarare videntur præstantiam, vtilitatem, & elegantiam, cum singulis quibusq; suis prælectionibus græci sermonis voces, proprietates, regulas, figuras, Phrases, atq; etiam integras miscere solent sententias; si

quid

quid enim vnquam ingenij, si quid leporis, si quid eloquentiæ Romana tulit antiquitas (tulisse autem plurimum, nemo est, qui non videat) id omne litterarum græcarum studio, ac disciplinis, acceptum referri debere, haud obscure significant. Et certe si per tempus liceret, diligentiori quodam examine, singula Romanæ facundiæ monumenta scrutari, luce clarius appareret, omnia, tum metro, tum soluta oratione conscripta, ad Græcorum litteratorum exemplum, & immitationem, (impari tamen conatu, ac venustate) composita descriptaq; fuisse ; Pateret enim in primis facilè, ipsum Romanæ eloquentiæ principem, atq; magistrum, non solum græcas litteras calluisse, apudq; Rhodios aliquando græcè declamando, in sui omnes admirationem traxisse, ac sibi suisq; omnibus huius linguæ peritia maximè profuisse; Verum etiam vim totam Demostenis proprijs orationibus inseruisse, maturitatē Thucididis adhibuisse, fulmina Periclis ex pressisse, iucunditatem Isocratis coluisse, atq; ipsius etiam Platonis copiam, & elegantiam plenissimè exercuisse; Constaret in super Virgilium Latinorum omniū Poetarum Coryphæum, Homeri, Hesiodi, ac Theocriti poemata integra trāscripsisse, illorumq; ope AEneidos, Georgices, atq; Bucolices carmina cecinisse ; Horatium pindarica musa fretum lyricum breui poetam euasisse, Terentium Menandri comœdias, (quod est apud Fabium) interpretatum, vixq; illius leuē vmbram assecutum fuisse, cęterosq; omnes pro sua quemlibet, voluptate, Gręcorum scriptorum aliquem elegisse eumq; sibi tanquam perfectissimum atq; absolutissimum paradigma imitandum proposuisse ; Verum enim vero cum nec temporis angustia longiorem patiatur orationē, neque in hac amplissima tantorum virorum corona desint vtriusq; linguæ peritia prędıti atq; ad omnium scientia

rum

rum ac disciplinarum apicē euecti, qui tanquam κριτικώτατοι Iudices, & melius, & copiosius ista tractare, ac diiudicare possunt, lubens hæc ipse prætereo, Atq; ad illa me confero quæ huic orationi nostrę obiicere quis posset literarum grę carum omnino rudis & hostis, ab aliqua fortassis huius linguæ difficultate deterritus, atq, suæ, ob id, ignorantiæ tenebris contentus; Quorsum, dicet ipse, ista studiorum nouatio? quorsum tantus sustinendus est labor, cum & sine literarum græcarum scientia multos in quolibet disciplinarum genere floruisse videamus, & omnia Græcorum scripta latino sermone legamus? Decipitur certe quisquis iste est, & à veritate longissime abest, qui talia loquitur; licet enim aliqui, linguæ huius cognitione, ac ope destituti in quopiam disciplinarum, seu doctrinarum genere aliquā do profecerint; longe tamen maiores, & absolutiores, ijdem profectus fecissent, nisi hac lingua caruissent; nec refert quod latino sermone Græcorum scriptá legantur, cum rectè minime intelligantur; teste enim Diuo Hieronymo vtriusque linguæ scientia claro, latinus sermo gręcam proprietatem non exprimit, neq; (vt ait Quintilianus) illam solis concessam Atticis venustatem recipit, neque tam dilucidè tamq; aptè latina oratione demōstrari possunt, quæ singulis verbis priuisq; vocibus á gręcis rectissimè, & planissimè dicuntur, etiam si maximè pluribus vtaris verbis, vt prædicat Gellius, adde quòd Lucretius inquit multa se græce dicere propter egestatem linguæ & rerum nouitatem. Noua autem linguæ græcæ studia nuncupari nullo modo possunt, cum & Romanis omnibus in delitijs, & Barbaris ipsis, iam a primis temporibus, in vsu atq, honore maximo fuerint; nulla enim vnquam fuit tam longinqua regio, è qua studiorum græcorum causa Athenas illas doctinarū omnium inuentrices homines studiosi non

peterent,

peterent, nulla fuit tam extera natio, quæ græcas disciplinas non concupisceret; & iure id merito; quemadmodum enim cunctis hominibus innatam sciendi cupiditatem tribuimus, pari quoq; modo eisdem litterarum græcarũ (quibus omnis scientia continetur) studium inesse debere affirmemus necesse est, id quod si cæteris omnibus est cõmune, sermonis profectò latini cultoribus, quem & a græca dialecto manare, & ipsi coniunctissimum esse compertum est, proprium omnino esse fatendum est; Verum non est quod plura de hac re, apud eos præcipue, verba faciam, qui & maximi semper studia gręca fecerunt, & alios ad hec cohortati sunt, ἵππον τὸν, ἐς πεδίον (quod est in prouerbio) incitarem, & currenti iam equo frustra calcaria iungerem; satis enim mihi cognitum atq; perspectum est quanto in honore græcarum litterarum cultores atq; doctores apud vos semper habiti fuerint, quantum ve vtilitatis, ac commoditatis ex illarum studio ipsi reportaueritis, ex quo inclyta ac Serenissima Mediceorum, Principum Optimorũ, Familia, bono omnium semper studens, Gręcorum reliquias, post immensam illam Græcię cladem, humanissime hospitio excepit, muneribus auxit, atq; incolumes AEtruriæ, & vniuerso Orbi seruauit; Quare reliquum est, ornatissimi Iuuenes, (ad vos enim oratio mea conuertitur) vt ad hæc capessenda studia accingamini, græcaq; cum latinis, Ciceronis exemplo, coniungatis; quod vt vobis fœliciter ac pro voto contingat operam, diligentiam, industriam, atq; studium omne meũ vbiq; pro virili polliceor, Vobis autẽ omnibus, Doctores Excellentissimi, qui me iucundissimo, ac nobilissimo conspectu vestro, hodierna die cohonestastis, atq; in hunc electissimum Catalogum vestrum cooptatum, benignissimè recepistis, immortales habeo gratias, habeboq; dum vixero. Dicebam.

VII

VII



9¼